Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 477

Quelle:
Copyright:

ſacrificio addendo &c. XIX. *De agno vel victima paſchali allegoria.* XX. *Allegoria et deſcriptio Arcæ foederis.* XXI. *Variæ ſacrificiorum et holocauſtorum allegoriæ.* Ita *Libri* ſequentes hujus I. *Voluminis* agunt de *Binario*, *Ternario*, *Quaternario* et *Quinario*, quibus ſubnexus eſt totius Operis Elenchus.

CLXX. VIII. 9. 10.

586 *Volumen* II. *Folior.* usque ad 690. procurrentium incipit a *Libro* VI. qui de Numero *Senario* tractat, definitque cum *Libro* XX. quo *Millenarius*, ejusque Progreſſus varii illuſtrantur. De Autore id adjiciendum videtur, fuiſſe eum fratrem *Georgii Stengelii* Jeſuitae, confundique quandoque Opera, quibus Par iſtud Fratrum πολυγραφον Remp. literariam auxit.

CLXXI. VIII. 9. 15.

591 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 209. 4. probe ſcriptus, rubricisque diſtinctus ſequentia continet: I. *Incipit prefatio in collectione diſtinctiua de diuerſis Acceptionibus verborum.* Initium: *Diuerſas in ſacra ſcriptura uerborum acceptiones minus ſtudioſis lectoribus colligere curaui* &c. *Hinc eſt quod inter occupationes plurimas tam mee paupertati quam amicorum utilitati conſulens. multiplices ſacre ſcripture paginas percurri. doctorumque uolumina luſtraui* &c. Primum, quod tractat, Verbum *Aqua* eſt, de qua ſic: *Aqua ſpiritui ſancto comparatur quia refrigerat ut ipſe. Vnde* ſpiritus ſanctus ſuperueniet in te et virtus altiſſimi obumbrabit tibi. *Reficit. ut ipſe. Vnde* venite ad me omnes qui laboratis et onerati eſtis et ego vos reficiam. *Et* aqua ſapientie ſalutaris potabo illum. *Semper fluit ut ipſe. Vnde* ſpiritus vbi vult ſpirat. *Igitur eſt aqua refrigerans. Aqua reficiens. Aqua rigans.* &c. Ita deinceps nullo ſervato ordine diverſa Scripturae Senſa literaliter aut allegorice exponuntur, comparantur, illuſtrantur, nullo Doctorum, quos Autor ſe luſtraſſe ſupra dixit, nomine expreſſo. Neque mihi de ejus nomine, aut patria eſt, quod dicam, niſi quis *Germanum* velit ex eo, quod in Titulo *de Pane fol.* 42. ſcribit: *ſicut* Zuchare *uel alia ſpecies ſolet diutius in ore teneri ob ſui ſaporem.* Claudit ille *Collectionem* ſuam his verbis: *Et ego gratias ſemper agam domino et eum laudabo et finem faciam in hoc ſcripto.*

II. *fol.* 112. p. 2. ſequitur Sylloge *Sermonum* facile LIV. ut plurimum brevium, ejusdem, ut videtur, Autoris. Themata varia ſunt, de Feſtis Domini, de B. V. de Apoſtolis et Confeſſoribus generatim, de S. Johanne Bapt. Praeterea *de Canticis*, *de Levitis*, *de Triplici Menſa*, *de Apocalipſi*, *Sermo penitentialis*, et *moralis* &c. Initium Sermonis I. *In vigilia Nativ. domini* eſt: *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa &c. fidelis*